

non esse hanc curam suæ vel professionis vel vocationis, atq; ita vel negligentem ea, quæ sunt suæ fidei & salutis, vel excusantem supinam suam in rebus fidei inscitiam & ruditatem, vel suspendentem iudicium de planissimis & verissimis capitibus metu alicuius periculi, non esse Christianum, sed reuera ethnicum, etiamsi in cætu Ecclesie viuat, & commiseratione dignum esse: posterius est, Philosophiam cedere & subjici debere Verbo Dei, & omnem intellectum captiuare in obsequium Christi, & hoc nisi fiat, Philosophiam, utpote furtum diaboli, ut Clemens Alexandrinus loquitur, & ignem à Prometheo surreptum, esse Pandoræ pyxidem, & pestem generis humani. Sed redeundum est ad historiam. Lutherus cognitis turbis, quas Carlstadius excitauerat, rogatus & permotus literis à Uuitebergensibus, in primis à D. Philippo, qui domi quoq; habebat Marcum quendam Enthusiastā, ex Pathmoredit animo excelso Uuitebergam, anno 1522. & Electori causas significat, cur diutius abesse non possit, & veniam petit sui facti, simulq; scribit, certum se esse, Christum, cuius Euangelium ipse predicit, habere Angelorum castra & choros tot, ut facilimè & Principem & Doctorem tueri possit contra inferorum portas, se nec querere nec petere ullius hominis umbram, sub qua tutus sit, nec velle se defendi manu potentum, sed acquiescere in fiducia auxiliij diuini. Concurrerunt ad hoc tempus fulmina